

DISPUTATIO X.
Centuriæ Quartæ

QUÆSTIONUM

ILLUSTRIUM PHI-
LOSOPHICARUM

In Inclitâ VVitebergensi Academiâ

Proposita

PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profefs. Publ.

RESPONDENTE

FRIDERICO LENTIO

VVitebergensi,

*Ad diem 16. April. horis à 8. matu-
rnis in auditorio collegij veteris.*

WITEBERGÆ,
Excudebat Martinus Henckelius,
Sumptibus Pauli Helvigij Bibliop. Anno

M. DC. VIII.

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION

INSTITUTION





QUÆSTIO I.

Cum in demonstratione medium sit causa majoris, in quonam genere causarum sit causa?



¶ *Quattuor esse causarum genera docet Arist. li. 1. 2. post. anal. c. 11. 2. Physic. 3. § 28 a. Meta. c. 3. Materiam, Formam, Efficientem & Finem. Quæ igitur ex his medium esse possit quaritur. Philosophus 2. post. c. 11. §. 48. & 2. ph. §. 70. omnibus id demandat officij. Cujus sententiam*

hac in questione etiam nos sequimur. Ad materiam ¶ igitur quod adinet, definimus eam ex Arist. 2. post. l. d. Id, quo existente necesse est hoc esse. Dispicendum autem hic nobis erit, in qua significatione sumat materiam Aristoteles; non in propria; investigat enim affectionum & accidentium medium, quod materia proprie sic dicta minime esse potest, accidentia in materia ex qua carent. Scal. exer. 298. sect. 16. & exer. 325. §. 2. Cum tamen interim illis non denegemus materiam in qua, seu subjectum, in quo inhaerant, Picol. in comm. in 2. phys. §. 19. quæ ipsa quoque materia medij vicem in demonstratione subire haut potius est; subjectum enim est, & minor terminus in ea; exempli gratia, homo est materia visibilitatis in qua; ibi visibilitas per hominem demonstrari non potest, sed ipsa demonstratur de homine. Dicimus igitur cum Zab. lib. 2. de medio demonstr. c. 6. Crollio lib. 1. part. prop. c. 11. Regio disput. log. lib.



lib. 5. q. 6. conclus. 6. Materiam hic ab Aristotele improprè sã-
mi. pro huiusmodi causa, qua cum adfectione seu predicato in
eodem sit subiecto, ita tamen, ut eius essentia extra sui effectus
essentiam esse intelligatur, qua causa vel ipsa subiecti differen-
tia est, vel accidens aliquod eam proxime consequens. Omnia
enim accidentia, qua ab huiusmodi causa interna fluunt in suo
subiecto semper inhaerent, ab eo q̄ separari nequeunt, (postea enim
propria causa ponitur effectus) unde sit, ut è necessitate materia
3. producta dicantur. Fuit ꝑ materia, sequitur Forma quam de-
finit Phil. 2. post. c. 11. & Metaph. c. 3. 2. Phys. T. 28. λόγον ἔ-
ρινη εἶναι. Sumimus iterum hanc causam non propriè seu pro
altera parte compositi: sic namq; medium esse non potest, idem
siquidem per idem probaretur: sed nobis hoc in loco est vel ipsa
definitio tota, qua Logici forma est, Ari. 7. Met. c. 4. & 5. Bello-
vil. tract. 2. c. 242. vel potissima eius parte, qua perfectam ac-
cidentis definitionem constituit. Ex dictis etiam patet, for-
mam esse commune receptaculum omnium reliquarum causa-
rum. & rectè dici omnem demonstrationem potissimã per causam
formalem fieri, licet ea sit vel ex materia necessitate, vel
ex efficiente & sine. Patet etiam hoc ex Arist. 2. post. c. 11.
ubi collationem causarum instituens formam silentio præte-
rit & trium tantum mentionem facit, in eodem etiam capite
singularum causarum exempla adferens formalis adtulit nul-
lum, tacite innuens quodlibet cause genus vicem formalis in
demonstratione obire posse. Zabar. lib. 2. de medio demonstr. c. 6.
& in comment. in post. anal. in T. 49. & 51. Crel. lib. 1. par. 1.
prop. c. 11. & in comment. in 2. post. anal. c. 11. p. 134. Ter-
4. tia ꝑ causa est Efficiens, qua primum movet. Philos. 2. post. c.
11. 2. Phys. c. 3. T. 29. & c. 7. T. 72. a. Metaph. c. 3. d. Meta-
c. 2. Hoc genus cause magis propriè accipit veritatis præceptor,
ut ex definitione patet. Adnotandum hic venit demonstra-
tiones ex hac causa formulis syllogisticis hauri facile se submitte-

re, ut notat Zab. lib. 2. de propos. necessar. 17. Ideo q. non
omnia habentia causam effectivam ex ea demonstrari possunt.
Idem lib. 2. de medio demonst. c. 10. Quarta & ultima cau-
sa est Finis, quem desinit Arist. li. 2. post. c. 11. 2. Phys. 3. T. 29.
item c. 7. T. 69. & 74. in Metap. c. 3. Cujus gratia aliquid fit.
Hanc causam itidem in proprio suo significatu sumit Aristote-
les. Observanda hic duo sunt. 1. mutuum esse hujus causae cum
efficiente secundaria nexum. 2. demonstrationem finalem non
habere locum, ubi effectus non propter aliud, sed propter se, pro-
ducitur. Vid. Zab. loco citato. Manifestum igitur ex haec-
tenus dictis evadit, nullam omnino causam à demonstratione ex-
sulare, sed quamlibet modo explicato locum sibi vindicare in
ea. Patet etiam ex ad tres potissimum classes revocari posse,
ad internam continentem materiam & formam, qua & alias à
Scholasticis Efficiens per emanationem dicitur, efficientem ex-
ternam, & finem.

QUESTIO II.

An materia in suo esse dependeat à for-
mâ; & vicissim forma à ma-
teria?

Antequam & ad sequentia descendamus, status questionis
rite informandus erit. Non enim quarimus hic de esse apri-
tudinali (ut vocant) cuiuslibet enim talis dependentia tam mate-
ria à forma ut causa sua formali apitudinali, quam forme à
materia ut causa sua subjectiva potentiali, patet. Fons lib.
5. Meta c. 2. quest. 3. art. 1. nemq. eam negare poterit, nisi forte
etiam negabis, omnem propensionem materiae ad formam &
proinde adpetitum ejus cum Avicenna & Scaligero exer-
citat. 17. & 61. sect. 1. contra Aristotel. lib. 1. Phys. c.
9. T. 81. materiam tanquam turpe pulchrum, saminam marem.

formam appetere adferentem. Sed ꝑ hic potissimum cardo
questionis voluitur: An materia in suo esse actuali, di-
stincto ab actuali esse formæ pendeat à forma tanquã
à vera causa talis esse; & vicissim forma à materia aut
in fieri solùm; aut in conservari solùm; aut in fieri &
3 conservari simul? Vbi ꝑ nos antequam ulterius pergamus
distinguiamus formas; alias enim dicimus esse substantiales,
4 alias accidentales. Bellovis. tract. 2. c. 242. Formas ꝑ sub-
stantiales quod respicit, dicimus materiam pendere ab eis, in suo
esse actuali, tam in fieri quàm in conservari. Rationem adfer-
tionis nostræ adferimus hanc: Quodcũq; per se existere non potest
ab alio existentiam accipiat necessum est; sed materia per se ex-
sistere naturaliter non potest. Zab. lib. 2. de prima rer. mat. c.
5. Soar. disp. 15. sect. 8. dist. 9. pura quippe potentia. Arist. 2.
Phys. c. 1. §. 11. lib. 1. de gener. & corrup. c. 3. T. 11. lib. 2. de ani.
c. 1. Par. 2. Met. a. c. 2. Illud à quo pendet alia esse non potest
quàm forma, ab illa enim omnis operatio in materia ipsaq; dat
esse rei & quidditatem, Bellovis. tract. 2. c. 7. Unde etiam Di-
vino divinum quoddam bonum, dicitur. 1. ph. T. 81. Hacten-
5 nus ꝑ de dependentia materia à formis, consequens est ut dica-
mus de dependentia formarum à materia; quas tam in fieri
quàm in conservari ab ea pendere adseveramus. Dd. Conn.
lib. 1. ph. c. 9. q. 6. art. 1. Zab. in comm. in lib. 1. Arist. de anima.
T. 14. Picc. lib. 2. de prima rer. mat. c. 12. Bellovis. tract. 2. c.
13. Nulla enim forma nunquam producta est, nisi in mate-
ria, neq; ullam sine materia existere posse naturaliter, docet ex-
perientia, Scal. exer. 307. f. 27. Soar. tom. 1. disp. 15. f. 9. distin. 1.
6 De dependentia ꝑ autem materia à formis accidentilibus con-
trarium dicendum planè est, cum nulla materia seu subjectum,
pendeat à sua forma accidentali, tanquam à causa simpliciter.
Ratio nostram confirmans sententiam hac est; quod materia
seu omne subjectum in suo esse actuali precedat esse actuale for-
ma ac-

me accidentalis. Scal. l. d. Zab. lib. de const. scient. nat. c. 6. Accidentia & autem in suo esse actuali penitus dependent à materia, neq; extra eam aut fieri aut conservari possunt naturaliter. Essentia enim eorum in inhaerentia consistit. Arist. 8. Metaph. c. 30. Scal. exer. 10. Zab. lib. 2. de prima rer. mat. c. 17.

QÆSTIO III.

Quid sit formam educi de potentia materia?

Non & multum jam laborabimus in confutatione sententia Anaxagoræ illius Clazomenij, Philosopho lib. 1. ph. & Plurarch. li. 1. de plac. Phil. c. 3. testantibus, formas actû in materia latit are statuentis, cum ea stante nihil prorsus de novo generetur, materiaq; uno & eodem actû multis informaretur formis, quæ tamen omnia à Philosophia saniori à veritatis Præceptore explorata sunt & relegata. Neg. & moramur hic Magirum, qui lib. 1. physiol. suæ c. 3. formas ex temperatis potius oriari qualitatibus autumat; Charybdin enim dum vitare studes in Scyllam incidit, formasq; materialas, si è potestate materia educuntur, evasuras metuens (frustra tamen ut infra declarabitur) ex accidente substantiam fieri posse concedit, quod tamen ipse Magirus eodem in capite regebat, mille accidentia unam substantiam constituere non posse adseverans; Dicitatorq; noster impossibile judicat, 1. phys. c. 6. T. 51. Qualitates autem accidentia esse quis negat? Nec & est quod audiamus hîc Scaligerum exer. 6. s. 4. & 5. formas è potentia materia non educi, sed in eâ induci contendentem, hac enim sententia si procederet, omnino sequeretur, formas per se & extra materia productas extrinsecus adjungi materia, quod tamen falsum; non dico absurdum est. Perer. lib. 5. ph. c. 3. Sed & breviter nostram explantes mentem, dicimus formam educi de potentia materia nihil esse.

hil esse aliud, quam dependere eam à materia in fieri & in esse.
Bellovis tract. 2. c. 13. Sive id fiat per transmutationem, ut
in formis substantialibus, sive alio modo; ut in accidentalibus.
Fons lib. 5. Metaph. c. 2. q. 4. Duae siquidem requiruntur
conditiones, ut forma aliqua de potentia materiae educta dici
possit; una ut ad id non solum obedientialis, sed & naturalis
potentia insit subjecto, altera, ut id, quod educitur, sine talis sub-
jecti admitticulo neq; fieri neq; permanere queat. De Conn.
6 lib. 1. ph. c. 9. q. 12. art. 5. Vnde & optimè Thomas part. 1. q.
19. art. 2. Educi de potentia materiae nihil est aliud, quam fieri
7 iam actu quod prius erat in potentia. Modum & ergo exa-
ctius si cupis, sic habeto; omnes forma latitant in potentia ma-
teriae (qua potentia nihil est aliud, quam propensio ad formam
indistincte Zab. lib. 1. de materia prima c. 10.) de eaq; postmo-
dum per varias alterationes, ab externo agente profectas, po-
tentiam materiae univ.ersalem ad particularem restringentes,
educuntur, id est, materia qua per se apta nata est ad omnes for-
mas in differenter suscipiendas, ad unam tantum restringitur
8 & determinatur. Picol. lib. 1. de creat. c. 5. Sed & times for-
te an cum Magivo loco supra citato; formas, si ita de potentia
materiae educerentur, materias fore, definitionemq; Philoso-
phi lib. 1. ph. c. 5. T. 42. traditam, ubi principia ex se invicem
fieri negat, ruituram. Frustra tamen utrumq; diligentius
namq; rem inspicias, videbis q; fieri ex materia, ut ex parte con-
stituyente & de ejus potentia educi, esse diversissima, hoc enim
forma sine ulla absurditate adtribui potest, illud (de quo etiam
loquitur Philosophus d. 1. simplex omnis q; compositionis ex-
pers forma planè respuit. Latè & eruditè tractat hanc que-
sionem satis difficilem, Suarez tom. 1. disputat. 15.
sect. 2.

Quæ.



QVÆSTIO IV.

An accidens producere possit sub-
stantiam?

Tres + potissimum hac de re Philosophorum sunt sententia. 2
 Prima, quæ est Perer, lib. 8. phys. c. 10. & 11. & aliorum quo-
 rundam, tantam vim attribuit accidentibus, ut dicat, ea pro-
 pria & peculiari vi substantia productionem attingere posse.
 Quam suam opinionem ista adstruere conantur. Omnis sub-
 stantia generatur per actionem; si d' omnis actio est inter con-
 traria, quæ non nisi accidentia sunt substantia enim nihil con-
 trarium. Arist. in Categ. substant. & 5. phys. c. 2. T. 10. Idem suo
 calculo comprobare videtur Philos. lib. 1. de sens. & sensili c.
 4. ubi inquit, ignem non agere, quatenus ignis, sed quatenus ca-
 lidus est. Sed + nimis hac opinio à scopo veritatis aberrat, Si 2
 enim accidens propria suâ vi substantiam producere posset, 1. se-
 queretur causam aliquam posse producere effectum se nobilio-
 rem. 2. Adimeretur formis substantialibus omnis actio; quod
 expresse pugnat cum Philosopho, qui passim in suis scriptis for-
 mam principium actuum indigitat, ut; 2. de generat. & corr.
 c. 4. T. 53. 2. & de ani. c. 4. T. 36. & 37. 3. Corpora naturalia non
 amplius essent productiva similium, sed omnia fierent ab acci-
 dentibus; quo tamen absurdo quid absurdius? Secunda + opi- 3
 nio est Scoti & ejus sectatorum, in defectu peccantium, qui cen-
 sent, accidens nullam plane vim substantiam producendi possi-
 dere, sed eam à substantia immediate produci: Pro qua opinione
 ex alijs hoc potissimum pugnat argumentum. Si substantia
 non producit aliam substantiam, nulla dabitur generatio uni-
 voca. Univocatio siquidem generationis consistit inter formam
 quâ generans generat, & inter eam, quâ genitum conficitur.
 Verum + etiam hac sententia ad veritatis trutinam appensa & 4
 B
 exami-

examinata consistere minime potest. Quoniam enim omnes
agens proximum cum eo, quod patitur, simul esse debet, ab eoq;
non distare, Arist. 7. ph. c. 2. T. 10. forma solis productio min-
eralium imputanda haut erit, ut pote, quae ab his inferioribus lon-
gissime distat, neq; ullum aliquod, per semen generans, sibi simi-
le generabit; vivens enim quando ex suo semine generatur ali-
quid, ut existat, necessarium non est, tantum abest, ut ejus
forma simul sit cum eo, quod generatur. Tertiam \dagger inter pra-
dictas modum tenentem, statuunt Thom. part. 1. quest. 45.
art. 8. ad 3. $\&$ 4. $\&$ quest. 115. art. 1. ad 5. Fons, lib. 5. Metaph.
c. 3. q. 6. Dd. Conn. lib. 2. phys. c. 8. quest. 8. Suarez tom. 1.
disp. 18. sect. 2. Tol. lib. 2. de an. q. 1. Scal. exerc. 6. s. 22. $\&$
pene omnes nostro saeculo Philosophi, quae est, Accidentia produ-
cere substantiam, vi quidem non propria, sed aliena à substantia
nimirum accepta. Quam sententiam, quippe verissimam, etiam
nos amplexumur ulsis; ad eamq; comprobendam has
adducimus rationes. I. Substantia aut producitur ab acciden-
te vi propria, aut ab alia substantia immediate, aut denique
ab accidente agenti per vim substantiae; sed neq; accidens solum,
neq; substantia sola hoc prestare possunt, ut ex precedentibus
constat; manet ergo, quod fiat hoc ab accidente agente in vi
substantiae. II. Omnis substantia agit per motum, motus est
accidens; E. omnis substantia agit per accidens. III. Cum hac
nostra sententia facit etiam Philosophus, passim hoc innuens, ut
5. phys. c. 7. T. 10. $\&$ lib. 1. de generat. $\&$ corrupt. c. 7. T. 50. Vbi
dicit, omnem actionem esse inter contraria; substantia autem
nihil est contrarium per se, sed tantum per accidens. Ad ar-
gumenta \dagger adversarum parrium quod adinet, respondemus ad
prioris opinionis rationem, illam nihil probare, quam accidens
concurrere etiam ad productionem substantiae quod nos ultro
largimur. Locus Arist. ut contra nostram aliquid inferat sen-
tentiam, tantum abest, ut eam potius comprimet $\&$ corroboret:
ignis

ignis, sed quatenus calidus, id est, ignis non immediato producte
alium ignem, sed per calorem. In secunda + sententia argu-
mento, negamus, univocationem generationis consistere in co-
muni productum simile sit agenti proximo, quo generans ut instru-
mento utitur, sed ut agenti principali & principali, sic q. ipso ge-
neranti assimilatur.

QUÆSTIO V.

An cœlum sit dissolubile, & quomodo ali-
quando dissolvendum?

Duo + habet membra hac quaestio, de quibus singulis or-
dine, primum quod respicit, dicimus Cœlum eadem ratione
inturiturum qua coepit, Perer, lib. 15. ph. c. 4. Coepit autem
modo non naturali, sed super naturali, seu creatione, uti sacra te-
stantur pagina. Tribuimus ergo cœlo potentiam ad dissol-
vendum non naturalem, quam in cœlo non esse, testatur experi-
entia, nullam unquam in cœlo mutationem factam negans Dd. Con.
lib. 1. de cœlo. c. 3. q. 1. art. 2. Soar. tom. 1. dist. 13. sect. 11. distinct.
13. Valles, de sacra Phil. c. 51. sed obedientialem, quam vocant.
Esse enim habet à Deo dependens ab eo quippe creatum; omne au-
tem dependens ab eo, à quo dependent in nihilum redigi posse ne-
mo negat. Scal. exerc. 6. r. sect. 5. Valles, l. d. De + altero au-
tem membro An sc. cœlum dissolvendum secundum sub-
stantiam, an verò secundum qualitates tantum? Variè
disquiritur. Nostrorum Theologorum communis & verissi-
ma est sententia, cœlum non tantum secundum qualitates, sed
substantiam & essentialiter inturiturum. Cui sententia etiam
subscribere nos cogunt multa & evidentissima scriptura testi-
monia; Inter quae non ultimum meretur locum illud, quod dici-
tur, Psal. 102. v. 27. Cœli peribunt tu autem permanes.
Sic Esa. c. 6. v. 77. inquit. Deus, ego creo novum cœlum & novam terram

& non erunt in memoria priora. Idem quoq; clarius dicit
Johannes in Apoc. c. 21. v. 1. iniquis, primum cœlum &
primam terram abiisse & mare jam non esse. Testatur
hoc etiam Petrus in epist. 2. c. 3. v. 10. & 11. ubi dicit Cœlum
& terram transitura, omniaque opera, quæ in ipsis sunt
solvenda, dissolvenda & exurenda. Plura testimonialia sa-
cris omittimus, cū ex his veritas satis pateat. Aliqua igitur cōtra
riæ factiōnis argumēta examinemus. I. Protrahunt locū ex Eccl.
c. 1. v. 4. ubi dicitur, generatio advenit, generatio præterit
terra stat in æternum. Item lib. allegato c. 3. v. 14. Didici
quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in æter-
nū. 2. Urgent locum qui habetur. 1. ad Cor. c. 7. v. 31. 2. Vbi Pau-
lus ait, præterit figura huius mundi: Si ergo inquirunt, fi-
gura huius mundi tantum prætereat, non ipse mundus inter-
bit. 3. Timplerus in Phys. sua gen. c. 3. q. 19. ita argumen-
tatur, quomodo mundus interijt per diluviū, ita etiam inter-
ibit per incendium; sed mundus per diluviū non interijt es-
sentialiter: E. neq; essentialiter interibit per incendium. Ad
loca ex ecclesiast. quod attinet æternum dicitur dupliciter. 1.
proprie pro eo, quod sine fine prorsus caret, opponitur q; finito. 2. Im-
proprie pro eo, quod longo durat tempore, opponitur q; brevi, ut
norant Valles. de sacra Phil. c. 6. B. Hunnius. de prædest. in
qua significatione etiam hic usurpatur. II. Locus, quem ex Pau-
lo adtulērunt huc non quadrat, loquitur enim ibi Apostolus tan-
tū de consuetudine vitæ & usu verum instar umbræ præter-
eunium & evanescentium. III. Ratio Timpleri nullius pla-
nè est momenti & ex pluribus falsis ac absurdis contexta. 1.
namq; falsissimum est hoc, quod dicit, mundum interijisse per di-
luviū. Deinde quoq; si verum est, mundum ita interitu-
rum per incendium in extremo die, uti factum est per diluvi-
um, sequeretur post extremū diem futura & remansura omnia,
quæ post diluviū remanserunt, quod e diametro cum omnibus,
quæ

quæ in sacris litteris dicuntur de vita altera & æterna pugnat;
quibus tamen contrariari quid magis impium!

QUÆSTIO VI.

An color apparens & lumen in aliquo
differant?

Dd. Conimb. † in negativam abeunt sententiam, lib. 2. de anima c. 2. q. 2. art. 2. hac moti ratione, quod istiusmodi colores secundum diversum aspectum, distantiam & situm ad corpus luminosum variè se visui repræsentent. Nobis † autem adfirmativa magis arridet propter has causas. 1. Si color apparens & lumen in nullo differant, sequitur, ut colores apparentes adsint, & tantum requiratur lumen, quod tamen falsum est: requiritur enim etiam color illius subjecti; in quod lumen spargitur. 2. lumen nunquam per se, ut objectum, videtur: perspicuum namq; per se est invisibile. Arist. lib. 2. de anima c. 7. T. 68. Color autem apparens omnino ut QVOD (uti loquuntur) seu ut objectum videtur. Rectè ergo color apparens & lumen in aliquo differantia, statuuntur. Ratio † Conimb. nos non movet: conclusio enim illa tantum hoc, quod lumen, ut colores illi apparentes, in sensum visus incurrant, requiratur, proinde q; illos secundum suam naturam totaliter à lumine dependere, & nihil aliud esse illos, quàm idola verum colorum, ob luminis diversum colorem apparentia, quod nos libenter cum Arist. lib. citato T. 73. concedimus, nihilq; officit discrimini, superiori distinctione, assignato. Et hæc, hæc de questione sufficiant propter amicus ad aliam.

QUÆSTIO VII.

An quinq; sint habitus mentis?

Dicam † hic scribunt Aristoteli ejus obrectatores, mundi novatores, quod hos distinxit habitus. Nos † tamen

B 3

bre-

Brevitatis amore unicam hanc ponamus rationem pro verissima
hac Aristotelis sententia. Intellectus versatur vel circa conting
gentia vel circa necessaria. Necessaria autem sunt in triplici
differentia, vel enim sunt ipsa principia & eorum habitus, quo
cognoscuntur, dicitur Intelligentia: vel sunt conclusiones, quae
ex principijs deducuntur & harum notitia dicitur Scientia:
vel sunt principia, cum conclusionibus conjuncta & gignunt sa
pientiam. Contingentia sunt duplicia, alia enim sunt extra
hominem posita & tantum a fortuna & casu pendent & illa huc
non pertinent; alia autem sunt, quae ab hominibus tantum fieri
possunt, sunt q. iterum duplicis generis, alia enim consistunt tan
tum in actione, & habitus eorum dicitur Prudentia: alia ve
ro in effectatione operis alicujus, cognitio horum vocatur ars. Ma
gir. in comment. in Eth. Arist. lib. 6. c. 2.

QVÆSTIO VII.

Intelligentia an sit, & quid sit?

Duas ꝑ habet hæc quaestio partes. Prior, quod, sc. talis
detur habitus, cum apud omnes sane mentis Philosophos in
confesso est, tum nos has adferimus rationes. 1. Si non datur ta
lis primorum principiorum cognitio, nullus scientiam adsequi
poterimus. Primus enim ignoratus nihil scimus. Picc. grad. 5.
c. 17. Deinde Deus & natura nihil faciunt frustra Arist. lib. 1.
de cælo c. 4. T. 34. lib. 2. de anim. c. 12. T. 16. Scal. ex er. 6. g. sect. 1.
Homo autem a Deo & natura mente præditus, cui tanquam ob
jecta, respondeant prima principia, necessario ergo danda erit
virtus mentis talia versans, quae est Intelligentia, quae si ho
minem privaveris, non ei mentem sed amem relinquens. Pro
batum ꝑ dedimus quod sit, quid igitur sit porro quaeratur. Do
cet hoc Philosophus lib. 6. Eth. c. 6. inquiens, Intelligentia
est primorum principiorum cognitio. Eo enim usq. in
indagine veri progressi sunt lumine naturae illustrati viri, donec
ad præ-

ad primas devenerunt causas, quas tū demonstrare non possent
publico q. edicto in scholis & synodis suis statuerunt, cuiuslibet
scientia primis principijs, utpote in demonstrabilibus esse cre-
dendum. Unde etiam narum videtur illud: contra negati-
tem principia non est disputandum; Ea namq. demon-
stratione semper notiora sunt, eorumq. non est scientia. Arist.
2. post. c. 18. 1. top. c. 1.

QVÆSTIO IX.

Quid sit sapientia?

Varijs † modis sumitur vocabulum Sapientia, nos
duorum potissimum hic mentionem faciemus. I. Sumitur enim
vel particulariter & significat certam alicujus artis perfectam
cognitionem: de qua in præsentia non agimus: vel sumitur uni-
versaliter, tuncq. omnium disciplinarum & scientiarum perfe-
ctam denotat notitiam, in qua significatione nos hic definimus
eam cum Arist. lib. 6. Eth. c. 7. Cognitionem rerum hono-
ratissimarum & præstantissimarum. Sex † autem hujus
virtutis numerat conditiones Arist. 2. Metap. c. 2. optime ejus
naturam explicantes. I. est, Omnia scire, non quidem singula-
rim & quoad individua, sed quoad primos fontes, id est, quoad
primarum causarum & principiorum cognitionem. II. Versari
circa difficilia. III. Habere cognitionem certissimam. IV. Ma-
ximam ad docendum habere aptitudinem. V. Non propter ali-
ud, sed propter se appeti. VI. Alijs præesse. Font. lib. 1. Metap.
c. 2. Soar. tom. 1. disput. 1. sect. 5. dist. B. & seqq. Pice. grad. s. c.
20. & 21. Casus in speculo morali lib. 6. c. 7. Magirus in comm.
in Eth. Arist. lib. 6. c. 7. Et hæc breviter de sapientia dicta sunt.

QVÆSTIO X.


An delatores constituantur in Republica?


Tyrannorum † hoc esse proprium judicat Arist. 5. pol. c. 11. 1.
Neque id injuria. Delatores quippe publico exitio reprobos,
& pæ-

Et poenis nunquam satis coercitos testatur Tacitus lib. 4. anal.
 Invisissimos namq; reddit hoc hominum genus principes seu po-
 tius tyrannos opera ipsorum utentes Plutarchus de curiofit.
 2 Vnde et etiam illos laudatissimi imperatores Vespasianus & Ti-
 tus, veluti publico exitio destinatos, adeo infecti sunt & pro-
 secuti odio, ut flagellis caesos per amphitheatri arenam spectan-
 dos ducerent. Alex. ab Alexan. lib. 4. genial. dierum. c. 22. Vn-
 de maximas agit gratias Imperatori suo Trajano, quod ipsos su-
 stulerit Plinius secundus de paneg. Nos tamen distin-
 3 guendum putamus, inter statum Reip. forte an enim injusta se-
 ditionis est suspicio. Cal. in sphe. civ. lib. 5. c. 11. Vbi sagaci hac via
 latus a domesticis hostibus munire, hoc est, locum aliquem dela-
 toribus concedere poterit, certis tamen adhibitis cautelis. I. Ut
 aures quidem praebeat omnibus, non verò fidem. Lips. 4. pol. c.
 10. II. Ut quidē audiat nō tamen auscultet. III. Ut audita acriter
 examinet, sibi q; persuasum habeat, credulitatem deceptionum
 matrem esse. IV. ut in his omnibus caute procedat, cum vulgus
 agerrimè credat, insidias principi factas. Vix enim principibus
 de conjuratione etiam comperita creditur, nisi occisis. Sueton. in
 Dom. c. 21. V. ut rei sive causae, quae defertur, itemq; verborum
 circumstantias accurate perponderet. Si causa est levis & ver-
 ba tantum arguuntur vel per ludibrium vel per iram, vel inter
 pocula, temere facta in principem, ea spernat: si enim linguas ho-
 minum interdicto allegaverit eo intemperantius loquentur,
 Anti Mach. lib. 1. The. 2. VI. Ut de latorum nomina ante vel post judi-
 cium prodat, ne quis calumnia circumventus judicetur. Bodin. lib. 5.
 de Rep. c. 3. Et hic in mentem sibi re-voce factum Antonij Pij qui dela-
 tores si non probarent, capitali pœna adficebat, si probarent ob lato pœ-
 mio dimittebat in fames. Alexan. ab Alex. lib. 4. genial. dier. ca. citato.
 Hec tamen ut sint, felicior tamen ea est Respub. major q; est fortuna regis si
 4 subditi non illum, sed illi timeant. Malè namq; terrore acquiritur ve-
 neratio, longèq; valentior amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor.
 Plinius secundus lib. 8. epistol. epist. ult. Quem enim metunt, oderūt,
 quem quis q; odit, perijse expetit. Cic. li. 2. off.

F I N I S.







1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISPUTATIO X,
Centuria Quarta

QUÆSTIONUM

ILLUSTRIUM PHI-
LOSOPHICARUM

In Inclitâ VVitebergensi Academiâ
Proposita
PRÆSIDE

M. Jacobo Martini
Logices Profefs. Publ.
RESPONDENTE

FRIDERICO LENTIO
VVitebergensi,
*Ad diem 16. April. horis à 8. maturi-
nis in auditorio collegij veteris.*

WITEBERGÆ,
Excudebat Martinus Henckelius,
Sumptibus Pauli Helvigij Bibliop. Anno
M. DC. VIII.